



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 46. Sanctiones Gregorii IX Decretales dictæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

**Sæcul. XIII.** Ubeda civitate, ac per Principem Alphonsum fratrem suum prope Xeram & veteris Astæ Regiæ monumenta ingenti victoria potitus, usque ad Cordubæ moenia viam apertam habuit. Interim Gregorius Papa compertis tam prosperis belli successibus Roderico Toletano Archiepiscopo scripsit, ut ex autoritate Sanctæ Sedis Episcopos, prout expedire viderit, constitueret in urbibus, quæ id honoris olim habuissent, ac tunc mererentur. Dabat Reate 26. Junii an. 1234. Post quatuor aut quinque annos Ferdinandus Scholam Palentiæ a suo Patre Alphonso Legionis Rege erectam, ut suo loco dixi, Salamanticam transtulit, in eodem Legionensi Regno, sed amœniore simul & commodiore loco sitam, quæ progressu temporis celeberrima Hispaniæ Universitas evasit.

**A. C. 1234.**

*VIII. ep. 137*  
*ap. Rain.*  
*n. 50.*

*Sup. Lib.*  
*LXXVI.*  
*§. 28.*

*Mariana*  
*XIII. hist.*  
*c. 1.*  
*Boll. to. 18.*  
*p. 308.*

§. XLVI.

*Sanctiones Gregorii IX. Decretales dictæ.*

**A**nnus 1234. fuit, quo Gregorius Pontifex Maximus Sanctionum seu Decretalium collectionem in publicum edidit, quæ nomen ejus præ se fert, & maximam postea autoritatem habuit. Quinque jam numerabantur decretalium, quas Summi Pontifices dederant, epistolarum

larum collectiones; singulæ post Gratiani congestionem factæ fuerant; prima per Bernardum Balbum Ecclesiæ Ticinensis Præpositum, dein Episcopum Faventinum, postremo Ticinensem, postquam S. Lanfranco suo Magistro successerat. Juris Canonici, cujus erat peritissimus, libros quinque composuit, ac decretales, canonesque quorundam conciliorum usque ad annum 1190. collegit. Alteram collectionem inchoarunt Gilbertus & Alanus, absolvit Gallus Volaterrensis, a quibus nomen gerit. Tertiam e tabulis actorum Innocentii III deprompsit Bernardus Magnus Archidiaconus Compostellanus; recognovit Petrus Beneventanus Papæ scriba seu Notarius sub annum 1210. Post quinquennium Innocentius Papa quartam fieri curavit e suis rescriptis seu responsis, ac ex decretis Concilii Lateranensis, cui eodem anno 1215. præfederat, compositam. Quinta constabat e constitutionibus Honorii III, qui eas a Tancredo Archidiacono Bononiensi congeri, & a tribunalibus scholisque observari iussit.

Ex omnibus his collectionibus Papa Gregorius IX. suam confici voluit per S. Raymundum Pegnafortium Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui ei tunc a facello & a confessionibus erat. Decretales ibi quinque in libros distributæ sunt,

O 4 &

Sæcul. XIII.  
A.C. 1234.

*Petri Pith.  
Synops. hist.  
Edit. An.  
Aug. init.  
Ital. Sac.  
to. 1. p. 31.  
to. 2. p. 52f.*

*Edit. Innoc.  
Ciron. 1645.  
tit. 1. c. 1.*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1234. & quilibet multos continet titulos, in quibus illæ ex ordine temporis sunt collocatæ: id quod prioribus in collectionibus factum non fuerat. Hæc ultima principium inde duxit, ubi Decretum Gratiani finem habebat: hæc, inquam, initium capit ab Alexandro III; ac decretales non nisi per compendia allatæ cujusque tituli materiam hic sequuntur; sed primas conservant voces, per quas jam erant cognitæ. Hanc Papa collectionem Bononiensis Academiæ Doctoribus simul & auditoribus destinavit per epistolam, in qua dicit, se in unicum volumen redigi curasse antecessorum suorum constitutiones, eo quod prius in plura dispersæ, cum fusæ nimium aut similes aut contrariæ essent, confusionem peperissent, & quarundam extra codices illos inventarum auctoritas a Judicibus in dubium esset revocata. Addit, suo jussu inutilia de præsens sanctionibus recisa, suasque quibusdam quæstionibus dubiis adjunctas fuisse: se velle, ut curiæ scholæque hac sola collectione uterentur, nec alia fieret sine Apostolicæ Sedis auctoritate. Similes litteras ad Doctores Parisienses dedit Spoleti 5 Septembris an. 1234. Impleta ejus intentio, & collectio tam bene recepta fuit, ut ab illo tempore simplex Decretalium nomen haberet.

*VIII. ep. 218*  
*apud. Rain.*  
*n. 26.*

*Alber. an.*  
*1234. in fi.*